



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Discordia diuersimodè sumi potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

114 Disputatio de fide.

emergat, dum vel non falsa, vel vera comprobabitur. Detrahere sibi ipsi (hoc est infamare seipsum) peccatum est mortale ex suo genere grauius, quam detrahere proximo, quanto magis tenetur diligere famam suam propter Deum & commune bonum, quam proximi. Nec excusatur à peccato mortali propter metum, aut tormenta: quoniam sicut nullus metus nullumque tormentum excusat à vulneratione aut occisione sui, ita nec infamationem sui. Quamuis enim pati detrimentum famæ propriæ, sit in proprio arbitrio constitutum, si in aliorum malum non redundat, sicut pati vulnera & mortem inferre tamē sibi ipsi damnū famæ criminisum est, sicut vulnerare aut occidere se. Et in iudicio propter tormenta hoc fit, duplicatur iniquitas: quia adiungitur mendacium in iudicio perniciosum.

*Disputans de fide tanquam in ea dubitans
& hesitans, mortaliter peccat.*

Disputare de fide, dubitando de veritate fidei, peccatum est mortale: quia dubius in fide infidelis est. Ad confutandos verò errores nisi rationabilis causa subsit, vel gratia exercitii, coram simplicibus peccatum est imprudentiæ: quia periculosum est, ne in vacillationem inducantur, ex hoc ipso quod audiunt aliquid appareat contra ea quæ sunt fidei. Et laicis nihilominus peccatum est disputare de fide publicè vel occultè, cap. quicumque. de hæret. lib. vi. Et quia contra faciens excommunicari mādatur, peccatum mortale efficit, si laicus sciens sibi sub tali tantaque censura illicitam redditam disputationem huiusmodi, nihilominus præsumeret de fide disputare.

Discordia diuersimodè sumi potest.

Discordia, qua quis voluntati alterius de bono diuino aut humano cui debet consentire, scienter & ex intentione contrariatur, peccatum est mortale ex

suo genere: quia contra charitatis concordiam directe est. Notanter autem dicitur, cui debet consentire, quia discordia completum peccatum tollit concordiam, non quamcunque, sed debitam, quae scilicet ex debito est, aut esse debet inter proximum & se, aut alium. Si enim nolit concordare cum proximo ad bonum supererogationis (puta ad ingrediendum simul religionem) non pertinet ad discordiae vitium: quia non tenetur consentire ad tale bonum. Inuenitur tamen discordiae peccatum veniale propter imperfectionem actus: vel ex parte voluntatis, ut in primo motu discordiae: vel ex parte materiae: ut si tollat concordiam in minimis. Minima autem in proposito sunt, quaecunque non sunt necessaria ad salutem: ut si discordet aliquis à voluntate dicendi veritatem pure officiosam, hoc est cuius mendacium esset peccatum veniale, & sic de aliis.

Inuenitur rursus discordia per accidens, hoc est non ex intentione: hoc est quum quis discordat quidem ab altero, sed non ut discordet, sed ut non minus recte aut ut rectius velit, seu operetur, interuenit siquidem tunc solummodo discordia materialiter: quia formaliter uterque tendit ad bonum. Et tunc aut non est peccatum, si uterque prudenter se habet. Aut contingit peccatum, vel ex parte volentis quantum ad modum, si nimis inhæret propriae sententiae. Vel ex parte materiae, si erraretur in iis qui sunt de necessitate salutis. Et in utroque casu tantum culpae vel excusationis iudica, quantum culpae vel excusationis habet in duratio in primo: aut error in secundo. si enim pertinacia illa est venialis, non nisi peccatum incurritur veniale. Et similiter si error ille excusabilis est propter ignorantiam excusatam (puta quia non tenebatur illud scire) excusata erit discordia huiusmodi.

Considerandum demum est in iis quae sunt per accidens, dammum seu nocuum consequens (sicut

216 **Dispensatio.**

de detractione materialiter dictum est) antequam iudicium feratur de mortali peccato.

Dispensatio non debet esse leuis & absque causa rationabili.

Dispensare in lege siue voto, & similibus absque rationabili causa, peccatum est: quia actus est voluntarius, dissonus rationi rectæ. Est autem veniale huiusmodi peccatum in paruis.

In iis autem quæ notabilia sunt considerandum est, si aliquid interuenit contra diuina præcepta seu bonos mores, vel non: & sic iudicandum est de mortali, vel non mortali. Verbi gratia: si absque rationabili causa dispensetur quis, vt habeat multas Ecclesias, & patet aut creditur, vel probabiliter dubitatur inde prouenire, quod Ecclesiæ priuantur debitis curis animarum, peccatū mortale proculdubio incurritur: quia contra diuinum ius est, vt priuetur Ecclesia debita cura animarum. Et similiter si absque rationabili causa dispensaretur: vt multa Ecclesiastica beneficia cum excessiuis prouentibus vnus haberet, peccatū mortale est, quia cōtra naturale ius est: vt cōmunia bona (qualia sunt beneficia Ecclesiastica) ita iniquè distribuuntur, vt vnus ebrius sit, & infiniti esuriant.

Idem autem est iudicium de dispensatione in voto seu iuramento: quia ex diuino iure obligant. Nec est tutus in conscientia quò ad Deum, qui dispensatur, in istis sine rationabili causa etiam à Papa motu proprio, & certa sciētia, & de plenitudine potestatis: quia Papa non habet potestatem in destructionem: sed ædificationem corporis Christi.

Diuinitio in quantum diabolico inniitur auxilio, peccatum mortale est.

Diuinitio, pro quanto significat indebitam usurpationem cognitionis futurorum euentuum, vel prætor